



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Nicetii Episcopi Epistolae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

EPISTOLA I.

NICETII EPISCOPI TREVIORVM

AD IVSTINIANVM IMPERATOREM.

In hæresim lapsus reuocat ab errore.

*Domino semper suo Iustiniano imperatori, Nicetius cum suis
humilis, sed misericordia Domini episcopus.*

IN nouissimis temporibus iam, vt sermo euangelicus prædixit, prospicimus; & cum tempus nostrum semper sit paratum, tamen finem, vt scriptura denuntiauit, venire sentimus. Sed beatus ille homo, quem, cum venerit Christus, inuenerit ipsum vigilantem. Sol conuertitur in tenebras ab oriente, id est, ab alto, hoc est a vita sancta. In integro mundo splendebas vt sol, & cum omnes inde gratia Domini rectores ecclesiæ * cuncti consilii ipsius gauderemus, deuulgante fama ex lapsu vefstro, quem nunquam peruenire debuimus, contristati & humiliati usque in terra sumus. Dulcis noster Iustiniane, quis te sic decepit? quis vt talia prosequeris, suasit? Quis, vt Christum purum hominem fatereris, docuit? quis vt in Iudæ consortium te transcriberes, circumuenit? Quis vt illum qui dixit, *Ego a Patre exiui,* [&] Ioan.16. *veni in hunc mundum*, per circumcisionem, per baptismum, per passionem, vt cresceret, te docuit? Quis vt qui cor miserum non habebas ante, repente oppreslit? quis vt patres, quos venerari debuisti, ad cædes, ad diuersas cruces mitteres, prouocauit? quis vt illa, propter quæ Christus crucifixus est, & apostoli omnes pertulerunt, destruores, prouocauit? quis vt quod iam semel, bis, & tertio ab omnibus rectoribus ecclesiæ condemnatum fuerat, vel adorares, commonuit? Nestorii & Eutychis, vt diximus, iam anathematizata quotiens atque quotiens secta, vt te de ipsa interimeres, quis imperauit? Ille, ille, qui Adam, vt contingeret arborem vitæ, suasit, qui studio suo mortem adinuenit, circumuenit: qui Iudam, cum Christum purum hominem fecit, & pro homine tradidit, in ignem, quem

Concil. Tom. 12.

B b b b

præparauit Deus diabolo & angelis eius , misit. Dulcis , & dulcis noster Iustiniāne , rememorare quæ promisi-
sti cum baptizatus es , quid per singula te credere dixi-
sti. Vnum Filium manentem in duabus substantiis , cum
Patre & Spiritu sancto , non duos Christos testatus es.
Cum excessisti , quid fecisti ? quid tibi præparaſti ? Diſ-
cute , & bene te proſpice , & vide ſi non in loco perdi-
tionis te obligasti. Adhuc ſi viſ , viuiſ : ſi viſ , reuerten-
Zach.1. do gaudeſ. *Conuertimini* , inquit , ad me , & conuertar ad vos .
Patres , a quibus benedictionem expectare debuisti , in
exilium transmisisti. Tum cum in vltima ætate tua com-
ponere & coniungere te ad redemptorem tuum debui-
ſti , ipſe te , non alter , ſed tu , & te & tuos decepiſti.
Cum Laetantius , vt dicit , presbyter loca sancta per Gal-
lias propter Domini misericordiam viſitaret , ante nos
apparuit. quæ legis deprecauiſmus , & per Iesum Chri-
ſtum redemptorem noſtrum coniurauiſmus. Ergo literis
præſentibus Deum noſtrum coniuramus infuper , conte-
ſtamuſ , vt & tu reuertaris , & quantos perire ſuaſti in
horrenda perfecutione , reuertere prouoces. *Quod ſi non*
feceris , ſit iudex ille inter nos & te ; ſed quanto citius , cui
tu honores tulisti , & purum hominem fecisti. Cum legi-
Iean.10. ſti , *Ego & Pater vnum ſumus* : ſed talis Pater , qualis & Filius ,
quia ita Pater vt Filius , quoniam verum eſt , quomodo
ad circumciſionem veniendo , ad baptismum , ad marty-
rium , meliorare probatur , qui Deus & creator omnium
eſſe conuincitur? *Festina , festina* , ſed protinus . Nam ſi
te ſic vltimus dies inuenierit , qualis nunc hodie appares ,
descendes ad inferiora terræ , & ad partes vulpium eris.
Lætetur sancta ecclesia de regressu tuo , quia vehementer
luget de excessu tuo. Gaudere nos in vltimo ſæculo po-
ſitos facias , quos lugere poſt lætitiam de perditione tua
fecisti. Ne dicas vel in corde tuo , *Feci , feci , vici , vici*.
Victus eſt & vinclitus , ſed inde , vnde filius diaboli , & inimicus
iustitiae. Nam notum tibi ſit , quod tota Italia , inte-
gra Africa , Hispania , vel Gallia cuncta , nomen tuum , cum
de perditione tua plorant , anathematizant. Et ſi non quæ
docuiſti deſtruxeris , & publica voce clamaueris : Erra-
ui , erraui , peccaui , anathema Nestorius , anathema Eutyches :
cum iſpis te ad supplicia ſempiterna tradidiſti. Salu-

tamus plurimum, coniurantes per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, per illum qui in uno trinus appetet, & in tribus unus agnoscitur, ut te de horrenda secta, & abominabili persecutione semoueas, & illos qui te suadente in ipsam crediderunt, ad meliorem viam venire studeas.

Anno Do-
mini 563.

In collocandis epistolis Nicetii coniectura vni sumus. Priorem enim, quod Iustiniani haeresim commemoret, in quam extrema demum aetate lapsus est, in eum annum contulimus, qui Iustiniani obitum antecedit. Alteri vero, quae ad Chlodosuindam Clotharii regis filiam scripta est, cum hanc & post Clotharii mortem, filiis in Gallia regnantibus, id est, post annum Christi D LXI. & ante Italicam Alboini expeditionem, que anno D L X V I I . mortua iam Chlodosuinda suscepta est, scriptam fuisse constaret, annum adscriptimus, qui ab utriusque temporis meta paribus fere distat interallis.

Hec Sirmondus.

EPISTOLA II.

NICETII EPISCOPI TREVIORVM

AD CHLODOSVINDAM REGINAM

L A N G O B A R D O R V M.

Hortatur ut Alboinum regem maritum suum ad fidem catholicam adducat.

*Dominæ clementissimæ in Christo filiæ, Chlodosuindæ reginæ
Nicetus peccator.*

CVM legatos vestros per Francorum reges, germanos tuos, ire conspicimus, de prosperitate vestra solici- ti sumus. Sed illa inde audimus, quod quam semper sonare etiam & sonare confitemur, quam magna, quam alta, quam laudabilis, quam utilis, quam humana vel magnifica, quomodo de pauperibus solicita, quomodo de religione astuta, quomodo in cuncto populo pia conuersatione splendida. Ille hoc concedat, qui tibi spiritum sapientiae & intellectus iam dedit. Gaudemus ex hoc, gaudere nos Christus faciat de Alboino rege, quem habes, & de felicitate sua triumphare. Stupentes sumus, cum gentes illum tremunt, cum reges vene- rationem impendunt, cum potestates sine cessatione lau-

Concil. Tom. 12.

A a a a ij

dant, cum etiam ipse imperator suis ipsum præponit, quod animæ remedium non festinus requirit. Scriptum legimus :

Matth. 6.

Quarite primum regnum Dei, & omnia apponentur. Qui sic quemadmodum ille fulget fama, miror quod de regno Dei & animæ suæ salute nihil inuestigare studet, sed illos recipit, illis acquiescit, qui potius animam in gehennam perdunt, quam ad viam salutis adducant.

Esa. 45.

Duos Deos esse prædicant, alium in deitate Patrem, alterum in deitate, sed pro creatura, Filium; cum scriptura dicat : *Ego sum Saluator, & non est alius præter me.* Te domina Chlodofinda, per tremendum diem iudicii coniuro, ut hanc epistolam & bene legas, & bene illi & frequenter exponere studeas, & vt ipsum interroges, quis est Saluator? Patrem dicunt esse Saluatorem, an Filium? quomodo duos esse, cum unus est, & alius non est, denuntiant? Si dicent Filium; ergo Pater Saluator non est: & si dixerint Patrem; ergo Filius non est Saluator, quia salvare, qui salvator non est, nullum potest. Si dixerint, Duo sunt salvatores, istud scriptum nusquam inuenient, nisi,

Ioan. 10.

Ego & Pater unum sumus: hoc est, Pater in Filio & cum Filio, & Filius in Patre & cum Patre. Deus præ magnitudine videri ab oculo humano non potest, qui tantum grandis, tantum fulgens, tantum etiam igneus est. Legimus, *In circuitu cæli & terræ tabernaculum eius.* quod etiam præ ista magnitudine & splendore ab homine videri non potest. expressit de se, quem semper habuit apud se, qui latibulum sibi de carne fecit. & ideo scriptura dicit : *Posuit te nebras latibulum suum.* Ideoque in euangelio ait Verbum Dei, quod Ioannes dicit, quia, *in principio erat, Verbum caro factum est,* & quod de Maria erat, sic illuc ad se iunxit, vt esset unus. Et per scripturam dixit : *Ex Sion species decoris eius:* hoc est, homo in Deo transibit. In euangeliis ipse dixit : *Ego ex Patre exiui, & veni in hunc mundum.* In quadragesimo septimo psalmo dixit : *Distribuite gradus eius.* Eius dixit, non eorum; quoniam unus esse, sed nec solus apertissime scitur. *Vt enarratis in progenie altera:* nam in die resurrectionis nec narrare, nec apparere poterit, qui Trinitatem in unitate non crediderit. Et pro eo omnis militia angelorum per singulos dies clamat, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth.* Non tres sancti, sed unus sanctum

Ibid.

Psal. 49.

Ioan. 16.

Psal. 47.

Esa. 6.

dixit Dominum Deum sabaoth. Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus. Vnus sanctus, sicut vnum Dominus. Vnde & Ioannes euangelista dixit: *Ipsæ est qui est, & qui erat, & qui venturus est saluator.* Sipernomina iuero, gradus esse videntur. Cum Patrem audis, nomine maior esse videtur: & ideo dixit; *Pater maior me est:* sed nomine ^{Ioan. 14.} tan- tum: in deitate autem, euidentissime per Christum & per apostolos eius vnum esse agnoscitur. Quia ipse cum a discipulo interrogaretur: *Domine, ostende nobis Patrem:* & ^{Ioan. 14.} ille: *Me vides, & de Patre interrogas?* Vides quia in Trinitate inuocatur, & in vna deitate esse inuenitur. Cum Patrem audis, sine Filio esse non credas: cum audis Filium, cum Patre esse non dubites. Nec dubites tres in personis, nam vnum in deitate esse agnoscitur. & ideo ad discipulos suos dixit: *Ite, baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* In nomine dixit, non in nominibus, quia vnam deitatem dixit, non tres. Spiritus autem sanctus separari non potest, quoniam vnde esse scitur gratia Dei, inde donum Dei esse cognoscitur. Ab ipso spirant bona omnia, sicut Apostolus dixit: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in Rom. 11.* *ipso sunt omnia.* Et hinc Propheta dixit: *Tu solus altissimus.* ^{Psal. 82.} sed solus altissimus in omni terra Saluator. Iesu Naue ipsum conspexit, & ideo dixit: *Nostræ es, an aduersariorum?* ^{Iof. 5.} Ille autem respondens ait: *Ego sum qui sum, & alius præter Exod. 3.* *me non est.* Abraham qui dicitur amicus Dei, & probatur, tres vidit, & vnum credidit. Cum tres adorat, Trinitatem, sicut dixi, commemorat: cum vnum in domum intrare deprecatur, vnam potestatem esse denuntiat. Nam Moysi quotiens atque quotiens dixit, *Ego sum qui sum, & alius præter me non est?* Quid nos ire per singula necesse est? Adduodecim discipulos quos habuit, veniamus, quia ipsi Gothi hodie ipsis venerationem impendunt, & reliquias eorum furtim tollunt: sed nihil ibi habent, quia fidem eorum annullare præsumunt. Quid est quod in basilicis eorum corpora ipsorum hodie venerantur, non ingrediuntur? Quid est quod nihil ibidem præsumere audent, nisi furtive, vt canes a foris, animas decipiunt, cum illos stios fideles rex Alboinus sibi demittat, & ad domini Petri, Pauli, Ioannis, vel reliquorum sanctorum limina perducat, vt ibidem Missas facere si audent, deliberent?

B b b b ij

sed non audent, quia domini Petri discipuli non apparent, & contrarii Christi esse probantur: quia quæ per crucem ipse redemit, destruere infelices inueniuntur. Hic si iubet ad dominum Martinum per festiuitatem suam, quam vndecima die facit Nouember, ipsos mittat: & ibi si audent aliquid præsumant, vbi cæcos hodie illuminari conspicimus, vbi surdos auditum, & mutos sanitatem recipere. Nam quid dicam de leprosis, aut de aliis quamplurimis, qui quantacumque debilitate percussi sunt, ibidem per singulos annos alii & alii sanantur? Fortasse dicunt, confingunt vel cæcos, qui cæci a natuitate esse videntur. Quid dicam, cum inde illuminatos conspicimus, & ad propria, Deo miserante, sanos reuerti videamus? Nam quid dicam adhuc de domino Germano, Hilario vel Lupo episcopis? vbi tanta mirabilia hodie apparet, quantum nec dicere verbis valeo: vbi tribulantes, id est, dæmonia habentes, in aera suspensi torquentur, & dominos quos dixi esse confitentur? Numquid in ecclesiis eorum sic faciunt? Non faciunt, quia Deum & dominos sanctos ibi habitare non sentiunt. Dæmon dæmonem non exorcizat. Nam vbi sancti habitant, dæmon vagari non dimittitur. ideo fit vt locus vbi Deus est, ostendatur. Quid de domino Remigio & domino Medardo episcopis, quos tu, credo, vidisti? Non possumus tanta exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere. Audisti ab auia tua, domina bona memoria Rodhilde, qualiter in Franciam venerit, quomodo dominum Chlodoueum ad legem catholicam adduxerit; & cum esset homo astutissimus, noluit acquiescere, antequam vera agnosceret. Cum ista quæ supra dixi, probata cognovit, humilis ad domini Martini limina cecidit, & baptizari se sine mora permisit. Qui baptizatus quanta in hereticos, Alaricu vel Gundobaldum reges, fecerit, audisti; qualia bona ipse vel filii eius in saeculo possederunt, non ignoratis. Talis ornatus, talis vir, qualis Alboinus rex esse dicitur, talis fama, quem mundus sic præponit, quare non conuertitur, aut quare tardus ad requirendam viam salutis appetit? Deus bone, qui es sanctorum gloria & omnium salus, tu te in illum mitte. Et tu domina Chlodosuinda, cum verbum facis, solatium tribue, vt omnes de tali stella, de tali gem-

IOANNES C. BRACARENSE I. IUSTINIANVS IMP.
P. III. THEODOM. SVEV. R. IN GALL. 567
ma sic gaudeamus, qualiter Deo placere possimus. Salu-
to tantum quantum valeo. deprecor ut otiosa non sis: in-
cessanter clama, incessanter canta. Audisti dictum: *Salua-* 1. Cor. 7.
latur vir infidelis per mulierem fidem. Nam scias, prima salus,
prima remissio est, qui conuerti fecerit peccatorem ab
errore suo. Vigila, vigila, quia Deum propitium habes.
rogo ut sic agas, ut & gentem Longobardorum fortem
super inimicos facias, & nos de salute tua vel viri tui gau- Anno Do-
mini 565.
dere concedas.

ANNO
CHRISTI
565. **CONCILIVM^b BRACARENSE I.**
ANNO III. ARIAMIRI REGIS
celebratum die Kalendarum Maiarum.

* Gildericus, **C**VM Gallicæ prouinciæ episcopi, Lucretius, An-
dreas, Martinus, Cottus, * Ildericus, Lucentius,
Timotheus, Maliosus, ex præcepto præfati gloriofissimi
Ariamiri regis in metropolitana eiusdem prouinciæ Bra-
carensis ecclesia conuenissent; confidentibus simul epi-
scopis, præsentibus quoque presbyteris, adstantibusque
ministris, vel vniuerso clero, Lucretius memoratæ me-
tropolitanae ecclesiæ episcopus dixit.

Diu est, sanctissimi fratres, quod secundum instituta
venerabilium Canonum, & decreta catholicæ & aposto-
licæ disciplinæ, desiderabamus sacerdotalem inter nos fie-
* quia * oppor- ri debere conuentum; * qui non solum ecclesiasticis re-
gulis & ordinibus * opportunus est, sed etiam stabilem
semper efficit caritatis fraternæ concordiam: dum con-
gregati simul in nomine Domini sacerdotes ea inter se
salutifera collatione requirunt, quæ secundum doctri-
nam apostolicam, unitatem spiritus in vinculo pacis obti- Ephes. 4.
neant. Nunc igitur, quoniam optatum nobis huius congre-
gationis diem gloriofissimus atque piissimus filius noster,
aspirante sibi Domino, regali præcepto concessit, * & simul
positi * considemus, prius si placet, de * statutis fidei catho-
licæ perquiramus: tunc deinde sanctorum patrum institu-
ta, recensitis Canonibus, innotescant: postremo quædam
etiam, quæ ad obsequium Dei, vel officium pertinent cle-
ricale, diligentius pertractentur: ut si qua fortasse per

* vt
* confide-
remus
* statu